



NOVA  
**POSONIENSIS.**  
 ANNO CHRISTI MDCC XXI.  
 DIE XXIV. DECEMBRIS.



*Isbonæ, a. d. 4. Nou.*  
*Marchio Brancasius,*  
 qui Regi a consiliis  
 est, simulque Præses  
 Academiæ Historia-  
 rum nuper a rege  
 constitutæ, complu-

ribus eiusdem Academiæ membris sibi  
 adscitis, *a. d. 28. Octob.* ad Regem est  
 profectus, eique ob natalem, quem ea  
 die celebrabat, more solemni, publi-  
 co totius societatis, cui præest, nomine,  
 gratulatus est. Paucos ante dies classi-  
 cula 19. navibus mercatoriis constans,  
 duabusque bellicis stipata, vela ventis  
 dedit Pernambucum\* cursum suum  
 directura.

\* *Fernambuco Præfectura est Portugallo-  
 rum in meridionali America parte. unde  
 maxima copia Sacchari atque cotini adpor-  
 tatur.*

*Madritti, a. d. 18. Nouemb.* iam in  
 vulgus editum est, Regem nostrum  
*Catholicum*, vna cum regina, nec non  
 Asturiæ principe, *a. d. 25. vel 26.* iti-  
 neri sese daturum, Infantemque regi  
 Galliæ desponsatam, ad arcem vsque  
 Lermam deducturum, quam inde ad  
 limites Galliæ in propugnaculum ali-  
 quod deduci oportebit, dum Monpen-  
 siera Princeps eo aduenerit cum ea per-  
 mutanda, quam rex atque regina in  
 eadem arce Lerma præstolabuntur, in-  
 terea temporis venationibus semet ob-  
 lectaturi.

*Parisis, a. d. 1. Decemb.* Suttonius  
 Eques idemque regis Magnæ Britanniæ  
 legatus, superiori Iouis die, in salutato-  
 rum rege, tum duce Aurelianensi, hinc  
 discessit, qua de re varii varia iam fe-  
 runt iudicia. *Caytouchius* ille, cuius  
 saepe

sæpe iam facta est mentio, hodie hora I. pomeridiana debitas sceleribus suis accepit pœnas. Primum enim rotæ alligatus, vndecim ictus perferre debuit, deinde interiecto dimidiæ horæ spatio, funiculo, quem nemo aduerterat, gula ei est fracta. Antequam raptus fuisset ad supplicium complures facinorum detexit socios, qui, vbi conquifiti fuerint, nihil certius quam pœnas, quas promeruerunt, exspectare poterunt.

*Londini, a. d. 2. Dec.* Fama iam ad nos perlata est, Knighthium Romam peruenisse, ibique, eiurata, quam antehac seruabat, religione, Romano-Catholicam amplexurum esse. *Ex partibus ad albam inferiorem fitis. a. d. 5. Decembr.* Holmia nunciatur, tabulas, quas senatus regni vltima consultatione, signatas ea lege reliquerat, vt ne prius quam conciliata pace vincula earum soluerentur, iam esse solutas, quarum, quæ sit sententia, speramus fore, vt breui nuntiare possimus.

*Haga comitum. a. d. 30. Nov.* Nudius tertius Kourakinus, princeps legatus Imperatoris Russorum literis exposuit præpotentibus Belgii foederati proceribus, qua ratione communi senatus Russici suffragio Petro I. qui hodie imperio Russiam moderatur, titulus imperatoris totius Russiæ tributus fuerit. Atque eam ob causam rem gratam principi suo facturos esse dixit, celsissimos Belgii ordines, quando illi nomini eius hunc titulum deinceps abscribi iuberent. Hinc delecti fuerunt hesternò die *Elfenius, Bieus, Hornbeckius, Hornius, Renouodus, Claerbergius, Broekhusius, Dornius, Tamming, & Fagelius*, qui carpentis vecti, se conferrent ad iam dictum legatum Russicum, collatisque inuicem sententiis, quid actum fuerit,

rerum hoc conuentu, ad celsissimorum Belgii foederati ordinum concilium referrent.

*Hamburgò, a. d. 5. Decemb.* Boetischerus, qui Russorum res in hac vrbe curat, sequentes vrbis patribus litteras reddidit. „Nos Dei gratia *Petrus I.* „totius Russiæ imperator, &c. Postquam singulari diuini Numinis beneficio accidit, vt diuturno, quod inter nos atque Suecos olim exarserat, bello, haud ita pridem sopito & composito, desideratissimam nunc tandem aliquando pacem in his terris quasi reflorescere videamus, nihil prius nobis faciendum esse duximus, quam vt pacato hoc rerum statu, solemnioribus supplicationibus immortalis Deo, grates persolueremus, nostris autem aliisque in terrarum orbe hominibus, animum pacis ac tranquillitatis studiosissimum testaremur. Et, quemadmodum tibi ignotum esse nequam poterit, *d. 22. Oct.* destinatum fuisse eiusmodi publicæ solemnitati; ita, grauissimis adducti causis, facere non potuimus, quin tibi, qua ratione singula peracta fuerint, his litteris significarem. Ante omnia autem æterno Numini cultum ac reuerentiam vsitatis exhibitori cærimonis, in ædem sacro-sanctæ Triadi dicatam processimus, vbi, sacris rite procuratis, pacis inter nos Suecosque inite leges, exceptis paucis quibusdam capitibus, quibus certam pecuniam, intra quatuor annorum spatium, æquis pensionibus Suecis dissoluendam, promissimus, populo publice prælegi iussimus; atque vt isthæc omnia, eo, quo decet animo, acciperentur ab audientibus, Archiepiscopus Pleskouiensis in medium prodibat, qui sacro sermone habito, populum præsertim cohortatus

tatus est, vt omnes, tantis cumulati  
 beneficiis, primo loco, vti par est, Deo  
 & deinde nobis debitas gratias refer-  
 rent. Nos enim diuino adiutos præ-  
 sidio Rufforum gentem, quæ tenebris  
 ante veluti occulta, & omni prope-  
 modum honore ac nomine destituta  
 fuerat, tanta nunc nominis fama, tan-  
 taque rerum, nostro auspicio gestarum,  
 gloria, extulisse, dicebat, vt vbiuis  
 hodie locorum illius nomen magnis  
 laudibus celebraretur. Postea impe-  
 rii senatores ad gratulandum se expe-  
 diebant & Gallowkinus, comes, &  
 regni *Concellarius*, reliquis conscri-  
 ptis patribus stipatus, ad nos accede-  
 bat, atque oratoris functus munere,  
 præter alia, quibus fidem, & obsequi-  
 um nobis testabatur, omnium, qui  
 ditioni atque imperio nostro subiecti  
 sunt, nomine, nos demississime obte-  
 status est, vt saepius rogati, nunc de-  
 mum PATRIS PATRIÆ, & TOTIVS  
 RVSSIÆ IMPERATORIS titulo vtere-  
 mur. Igitur, cum ex tabulis non tan-  
 tum publicis perspectum habeamus,  
 & cognitum, maiores nostros a Maxi-  
 miliano I. imperatore Romanorum  
 hoc nomine fuisse adpellatos, sed etiam  
 nobis a magnæ Britannæ rege eius-  
 modi titulum quam lubentissime con-  
 cedi; nos precibus nostrorum facturi  
 satis, TOTIVS in posterum RVSSIÆ  
 IMPERATOR adpellari volumus.  
 Quocirca id tibi hoc tempore nunci-  
 andum curauimus, vt, tuarum quid  
 sit partium, accurate perspicias, &  
 non solum senatui Hamburgensi ist-  
 hæc omnia studiose exponas, sed eti-  
 am omni diligentia cures, vt illi, quos  
 nostro nobis hodie iure ac merito vin-  
 dicamus, honores, omni nobis, tem-

pore rectissime exhibeantur. Scrib.  
 Petroburg. 26. Oct. R. 1721.

*Ad mandatum imperator, majest.  
 proprium.*

Petrus, L. B. de Schaffiroff.

Concilio sanctiori adscriptus.

*Alia, a. d. 8. Decemb.* Campredo-  
 nius, regis Gallix legatus, qui Petro-  
 pyrgi agit, litteris docuit Sueciæ re-  
 gem, qua ratione confecta propemo-  
 dum, atque expedita sint omnia, quæ  
 a rege sibi mandata fuerunt. In Suecia  
 quam plurimi homines captiui abdu-  
 cuntur Holmiam, qui in caput regis  
 conspirasse memorantur.

*Warssavia. a. d. 10. Dec.* Postea-  
 quam Regi nostro legatus Russicus ex  
 mandato Imperatoris sui, de pace cum  
 Suecis inita more in aulis consueto pu-  
 blice indicasset, statim is omnibus Regni  
 Poloniarum senatoribus idipsum de-  
 nuntiandum curauit. Litteris Came-  
 nitia missis nuntiatur, famam illuc  
 ex Podolia esse allatam, multis locis  
 eiusdem prouinciæ pestem in pecora  
 grassari cœpisse, cum idem malum in-  
 colæ vrbs Laticzfouix inter greges suos  
 animaduertissent, in suspicionem eis  
 venisse, non aliæ causæ id tribuen-  
 dum, quam cadaueribus hominum ve-  
 neficorum, quæ homines superstitioni-  
 bus dediti *Vpierz* vocant, quæque se-  
 met ipsa in sepulchris suis consumere so-  
 lent; quapropter eruisse eos cadauera  
 nonnulla non ita pridem humata, atque  
 inter ea quoddam istius generis repe-  
 riisse, eique caput ligone præscinden-  
 dum curasse, eoque facto luem illam  
 pestiferam, quæ greges perdere cœpe-  
 rat desisse protinus. Quid de re su-  
 perstitiosa credere fas sit, prudentio-  
 ribus iudicandum relinquimus. Ex  
 Ukrai.

Vkrainia accepimus duo Cosacorum agmina, derelictis ducibus prædatum exiisse, sed missas iam esse turmas aliquot defulteriorum equitum, quæ prædones hos confectentur, & quoscunque comprehendere licuerit cruci adfigant.

*Ex prouinciis, quas Danubius alluit, a. d. 3. Dec.* Augustus Imperator, ritu solemniori Equites aurei velleris declarauit *Fridericum Augustum*, principem regium & electoralem Saxonicum; *Emanuellem* regium Lusitaniæ principem; *Maximilianum* principem Hanoueranum; Lotharingicum & Sulsbacensem, principes hæredes; *Ferdinandum*, principem Bauarum; *Leopoldum*, principem Holsato-Slesuicensem; *Alexandrum*, principem Würtembergensem; *Folbonem*, principem Cardonensem e Catalaunia; *Martinicum comitem*; *Rubempreum*, principem; *Colonam*, comitem stabuli; *Leopoldum Schlickium*; *Sigismundum Kesenbüllerum*, comites; *Lignium*, & *Fürstenbergium* principes *Burggrafium*, tribunum militum; *Galbesium* & *Viscontium*, *Caballam*, *Acerram* comites; & *Iosepum Lichtensteinium*, *Auellinum*, & *Carbenacensem* principes.

*Vienna, a. d. 20. Decemb.* Nudius abhinc quartus adducti sunt ex Italia septuaginta circiter equi vasculis varii generis vini, quod Imperatori Augusto missum est, onusti. Hesternæ die sanctius coactum fuit consilium, cui & ipse Imperator adfuit; credibile igitur est de summis rebus in eo fuisse actum. Hodie mane Consul atque Iudex vrbs nostræ, cum omnibus, qui in magistratu sunt, in ædes publicas venerunt, cumque ibi se magistratu abdicassent, submisse rogarunt, vt more consueto certi constituerentur arbitri, quibus præsentibus noua magistratum suscipi posset electio.

*Cibinii Transylvaniorum, a. d. 10. Decemb.* Supremus apud nos Exercitus Cæsarei præfectus, *Excellent. Comes Virmondcius*, morbo grauissimo diebus superioribus implicatus fuit, cuius letales recursus, celeberrimus Vir, *Samuel Köleseri, de Keresér, Inclyti Gubernii secretarius*, atque artis salutaris *Doctör*, felicissime repressit, vt iam melius valere incipiat & vires in dies magis magisque resumat. Die huius mensis septima, idem *Excellentissimus Virmondcius*, primoribus Valachiæ cis Aluthanæ, quæ Augusto Cæsari paret, accersitis, prouinciæ eius regimen, ex voluntate Imperatoris *Georgio Cantacuzeno*, (*Sorbani Cantacuzeni*, Principis olim Valachiæ, qui Turcis, Viennam obsidentibus, adiunctus, crucem præaltam in statione sua fugiens reliquerat, filio vnico;) solemniori ritu, tamquam futuro *Bano*, administrationis titulo, demandauit. Dati ei sunt, *Boerones*, sive Magnates Valachi quatuor, atque *secretarius vnus*, quorum opera rebus administrandis vti queat.

*Tyrnauiæ, a. d. 20. Decemb.* Superioribus diebus femina quædam, vno partu quatuor enixa est infantes, tres masculos, femellam vnã, qui postquam sacro baptismatis fonte abluti fuissent, e viuis excefferunt.

*Posonii, a. d. 24. Decemb.* Rebus peractis, certatim hinc discedunt inclytorum R. H. statuum legati; quin & eorum nonnullos, quibus Religionis negotia ad examinandum sunt commissa, ob dies, Natiuitati seruatoris Iesu Christi sacros, ad suos tantisper digressos videas. Interim *Subdelegata Commissio*, Præsidente Illustr. Barone *Casparo Sandor*, ea, quæ sibi incumbunt, strenue procurat. Tempestas, quæ rigidior esse cœperat, in pluuiam commutata est.